VIR AMPLISSIME ATQVE DOCTISSIME
FAUTOR omni honore, et officio complectende,

Vt primum potestas dabitur perficiendi, quam scribere adgressus sum, Historiam Vanslebianam, nihil praetermittam sequendo consilium TVVM; quod positum sit aut in veritate, aut in labore. Id postulat et res ipsa, et TUÆ expectatio, ultroq susceptâ de editore conducendo cura, quam pro lucubratiunculis illius ruditate nemini audebam offerre. Enitar igitur, contendamq, quam maxime potero, ut opinioni respondeam TUÆ, dignumq me praebeam amicitiâ, in quam me recepisti, optatissimâ, amici officia diligenter colendo, obeundoq quas mihi imposueris industriae partes. Sed Vanslebian

historiæ nondum licet ultimam imponere manum
cum quod quædam adhuc monumenta desunt,
quæ amicus quidam comparabit, tum quod alio
iam labore distineor, ex Arabum scriptis iussu
argumentum aliquod illustrare: quo functus ne-
gotio ad inchoatæ historiæ Vanslebianæ telam
absolvendam redibo. Interea dum in Arabi-
cis versor, sæpe animum subit deprædicata
a multis, et dignis fide hominibus harum
litterarum scientia Tua, et acquisita in
longa peregrinatione, familiarique doctissimo-
rum virorum consuetudine scriptorum
hac lingua, atque latentium in variis biblio-
thecis librorum notitia haud vulgaris. Hanc
igitur, nisi id TIBI grave fuerit, consulam
interdum, vocaboque ad meam utilitatem
si quando mihi opus fuerit variorum hom

monumentorum cognitione, et usu: quippe cum haud videatur esse difficile, ad ea impetranda TE mihi aperire viam, thesauri possessoribus comendatione conciliatis. Quicquid hic est manuscriptorum codicum Arabicorum, legi et quos usui esse possint, ea descripsi: Gothanos quoq submittit Tady Cyprianus; sed his prope perlectis, vellem etiam reliquos, alibi reconditos perlustrare, ut quos in his lateant, in publicum extrahere, eoq magni laboris, longiq tempo[ris], quod litterarum istarum difficultatibus superandis impendi, fructum aliquem ferre possim. Quod studium meum, si comode potes, adiuva, quaeso, et porro fave

TUO

omni observantia
et officio
Jo. Henr. Callenberg.

Halae XV. Nov.
CIƆIƆCCXX.

Monsieur

Monsieur Bayer,
Conrecteur du collège
illustre, et Bibliothecaire

à

Königsberg
in Preußen.

f. Couv.

494. 2V